



Georgius ex nobili familia Schillingorū Canstatt in ducatu Vuirtenbergico natus, & in omni genere uirtutū educatus est. Is cum ab adolescentia armorum studia diligeret, & Cesaris castra sequendo rei bellicæ magnum sibi usum comparasset, tandem pro Christianorum religione arma induit, & Rhodiorum equitum militarem ordinē suscepit. Itaq; eo tempore, cum 1522 insula Rhodus à Turcis summis uiribus oppugnaretur, Georgius interfuit, & suæ uirtutis magna documenta reliquit. Parि fortitudine quoq; in insula Melita uixit, & potenti hosti sua prudentia plurima damna dedidit. Id cum Carolus Imperator intellexisset, eum in

Tuncrana expeditione maiorì parti copiarum prefecit, et classem maritimam commēdauit. ubi etiam 1536 insignem de Turcis & Numidis uictoriā repor tarunt. Postea quoq; 1541 sub autumnū cum Imperatore Algieram classe profectus, totius classis dux constituitur. Ibi cum hostiū fines ingressi ad continentem uenissent, atq; horréda & inaudita tempestas exorta esset, qua classis concuteretur, prudentum uirorum consilio Imperator exercitum in Siciliam reduxit, & huius Georgij uirtutem & diligentiam omnibus commendauit.

Hinc factum ut Georgius post Ioannem Hatsteinium uita functum Rhodiorum equitum per Germaniam Magister constitutus sit. Cum autem Imperator Georgiū diligeret, ipsum & successores Romani Imperij principes constituit, atq; regalia concessit, quæ per aliquot iam secula ab antecessoribus neglecta erant. Idq; potissimum ideo, ut ille sua iura per Germaniā conseruatet, & à nullo alio principe aut Republica impediretur. Hoc modo princeps Georgius in sua arce Heytersen pulcherrima multis uirtutibus ornatus habi taurit, atq; tandem senex anno salutis 1553 obiit. In eius locum postea Georgius à Hochenheim generosus princeps successit, de quo suo loco fusius dicetur. Anonim.